



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 148. Francisci II. Corpus ad oppidum S. Dionysii delatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

cum ergo ætate juvenis esset, ac non-
 nisi exiguo admodum tempore regnas-
 set, an inter probos, malosve Princi-
 pes numerandus sit, in incerto reliquit
 adeo, ut de eo nil aliud observandum
 occurrat, nisi quod nulla alia vehemen-
 tior affectio in illo dominaretur, quam in-
 gens amor erga Reginam Conjugem
 suam.

Sæcul. XVI.
 A C. 1560.

Ceterum ejus obitus universo Fran-
 ciæ Regno, præcipue vero in funesta
 illius temporis, rerumque vicissitudine
 Catholicis omnibus exitialis credebatur;
 nisi enim morte præventus fuisset, sub-
 ditos suos compulisset, ut fidei profes-
 sioni a Facultate Theologica præscriptæ
 subscriberent, hocque pacto de novis
 erroribus suspecti facile dignosci, aut
 forte hæresum propagatio fisci, quinimo
 sperari potuisset, quod Rex, uti statue-
 rat, Protestantium factionem penitus
 dissipasset: Utut vero res se habuerit,
 id unice dolendum, quod pia hæc con-
 silia ob præmaturam Regis mortem suo
 successu caruerint.

§. CXLVIII.

*Francisci II. Corpus ad oppidum
 S. Dionysii delatum.*

Postea Francisci defuncti Corpus a San-
 faco, & Brossio, qui Regis Mode-
 ratores erant, ad oppidum S. Dionysii

Thuan. l. 26.
 Belcar.
 comm. l. 29.
 in num. 9.

K k 4

in

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

in Francia deferebatur, solusque Ludovicus Guillartius Silvanectensis Episcopus, quamvis cæcus esset, funus tamen usque ad sepulcrum comitabatur, ceteri enim omnes Prælati magno numero in aula persistebant, ut ex tumultibus jam-jam erumpentibus sua quisque compendia traherent: unde hujus Regis exequiæ sine ulla ferme pompa fuere celebratæ, non sine Guisianorum Principum injuria, quos tamen ille summis honoribus auctos veluti in Regni consortium assumpserat: præcipue vero odium in eos conceptum inde adhuc magis augebatur, quod eodem, quo Rex animam egerat, momento triginta aureorum millia ex ærario Regis ad ædes suas transferri jussissent: quapropter panno serico, quo Regis feretrum operiebatur, incerto auctore inscripta legebantur hæc verba: *UBI NUNC TANAQUILLUS CASTELLUS?* Hic ut jam alibi meminimus, ex perillustri in Britannia genere natus inter Nobiles Cubicularios primus sub Carolo VII. erat, qui quamvis eodem regnante ad ædes suas exul migrare jussus fuisset, comperto tamen Regis Domini sui obitu mox ad aulam accurrebat, atque in funus Regium ex pecuniis suis triginta aureorum millia dependebat, cum interea omnes Aulici Regis sui funus curare

*Vide lib. XII.
S. 31. t. 29.
fol. 35.*

rare negligenter, Ludovici XI. Successoris sui indignationem per ignaviam veriti.

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

§. CXLIX.

*Montmorentius Connestabilis unacum
Filio suo ad Aulam delatus.*

Cum Franciscus II. nulla prole relicta decederet, Carolus ejus frater in Regna succedebat, Catharina vero Medicea Regina comperta Filii sui morte quantocius Sangelasium Lanfacum ad Montmorentium Connestabilem misit, unacum literis, quibus eum, ut quamprimum novum Regem salutatum veniret, rogabat, addens, quod ipsius consilio uti perciperet, cum res in eo statu essent, ut singulis sua dignitas, honosque salvus foret, ac quisque libere imposterum suo munere fungi posset. Hisce literis animatus Connestabilis, Franciscum Montmorantium Filium suum, qui Cantiliæ ob adversam uxoris suæ valetudinem hærebat, evocavit, illumque Aureliam mox contendere jussit: cum vero ibidem excubias ad urbis portas cerneret: in quem usum illæ essent dispositæ, sciscitabatur, his vero eidem respondentibus, quod ad Regis præsidium præsto essent, quantocius Connestabilis reposuit: „indignum subditorum est, quod Rex, quem ex suorum bene-

Thuan. l. 26.
Belcar.
comm. l. 29.
num. 11.

K k 5 volen-